

## Geschichte der Grundherrschaft Echternach im Frühmittelalter (Ed. Wampach) Nr. 153

Ego in Dei nomine Buovo, venerabilis vir, dono hereditatem meam ad monasterium sancti Willibrordi, quod est constructum in honore sancte Trinitatis et sancti Petri principis apostolorum et ceterorum apostolorum et sancte Dei genitricis et virginis Marie, ubi ipse preciosus dompnus Willibrordus corpore requiescit et vir venerabilis Adelardus comes preesse videtur, hoc est quod dono: res meas in pago Muslense in loco qui dicitur Morinnesbrunno picturam dimidiam et iugera V, totum et ad integrum, quicquid in illo loco habere vel possidere videor, trado atque transfundo partibus ipsius ecclesie et fratribus, qui ibidem die noctuque Deo deserviunt, ut ipsi habeant ipsas res ad eorum necessitatem sustentandam. Rogo etiam vestram mansuetudinem, ut supradictas res michi consentire dignemini vita comitante, dum in hoc seculo sum, et post obitum meum nepoti meo diebus vite sue tradatis, et post nostrum discessum supradicte res ad partem memorate ecclesie absque ulla contradictione revertantur. Trado etiam ad luminaria sancti Willibrordi mancipia III, ita ut senior illorum singulis annis ad festivitatem sancti Willibrordi solvat denarios II, et securi, annvente Domino, cum integra ingenvitate valeant permanere. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis seu quelibet opposita persona, que contra hanc traditionem et ingenvitatem venire conaverit aut eam irrumpere voluerit, inprimitus iram Dei omnipotentis incurrat. Actum anno II regnante Luodowico rege.